



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De Consensu coacto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

rem Sacramenti Matrimonii, sequitur, quod qui dat facultatem, ut contrahatur matrimonium præmissis denunciationibus, tantum velit admonere Procuratorem de suo debito, non tamen velit, matrimonium esse invalidum, si denunciations omittantur; Sicuti, ut dicemus loco suo, propter eandem rationem est valida, quamvis illicita, absolutio a Censuris, quæ confertur, parte nondum satisfacta, etiamsi detur facultas absolvendi, satisfacta parte.

ARTICULUS III.

De Consensu coacto.

- I. Num sit irritum matrimonium contractum metu levi injuste incusso?
- II. In quonam sensu voluntas dicatur cogi a metu?
- III. In utroque foro est irritum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum.
- IV. Probabilius jure tantum Ecclesiastico, non jure natura, illud irritatur. Votum autem universim simili metu nuncupatum, ne jure quidem Ecclesiastico est irritum.
- V. Etiam contractus lucrativus gravi metu injuste extoritur probabiliter est validus jure natura, quamvis damnus resarciri debeat. Idemque dicas de contractu oneroso; & uterque contractus ad arbitrium metum passi rescindi potest.
- VI. Probabilius videtur, quod sit validum jure natura matrimonium celebratum per metum levem injuste incussum ad illud extorquendum. Idemque dicas de Voto.
- VII. Metus reverentialis secundum se est levis; (nisi minas, aut aliud simile secum ferat) esto nonnulli putent, matrimonium sic contractum esse irritum.

VIII. Quando matrimonium est invalidum ratione metus, aut alterius impedimenti occulti, non debet revalidari coram Parocho, & testibus: secus vero si impedimentum probari potest.

I. **R**ecolenda prius sunt, quæ de metu diximus quæst. 2. de Sponsal. art. 8. quæst. 4. Primo, de metu gravi, & levi; Secundo, de juste, & injuste incusso; Tertio, de incusso ad extorquendum ipsum contractum, & de incusso ob alium finem; qui etiam potest, & juste, & injuste incuti tam ab eo, cum quo est contrahendum, quam ab alio. Diximus ulterius, nullum contractum irritari a metu levi qualitercumque incusso; Nec a metu gravi incusso a causa extrinseca, non libera, puta, a metu naufragii; Nec a metu gravi juste incusso, etiamsi ad extorquendum contractum, (ut communiter Doctores docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 228. quamvis Bonacvelit, solum contractum matrimonii irritari a metu gravi juste incusso ad ipsum extorquendum.) Præterea nec irritari a metu gravi injuste incusso, sed non ad extorquendum ipsum contractum. Irritari tamen contractum matrimonialem in utroque foro, dumtaxat a metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum, sive ab altero contrahentium, sive a tertio incurtatur; ut omnes docent contra Cardinal.; cum debeant matrimonia esse plene libera, nec contrahi cum injuria alterius; eo quod sint insolubilia. A simili tamen metu levi injuste incusso matrimonia probabiliter non irritantur; ut communius docent Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. Et constat, tum ex usu Ecclesiæ non irritantis matrimonia ex metu levi contracta; tum quia metum levem jura non considerant ex leg.

L 2 Nec

Nec timorem ff. De eo, quod metus causa, quia metus levis non multum detrahit libertatis. Sed oppositam sententiam esse pariter probabilem dicemus inferius.

II. Notandum præterea; Metum non posse proprie cogere voluntatem; tum quia quilibet actus voluntatis est voluntarius, cum sit ipsum velle voluntatis; tum etiam quia voluntas non potest pati violentiam; Nam cum ex Philosopho, Violentia sit ab extrinseco nullam vim conferente passio, seu resistente passio; voluntas autem eo ipso, quod consentit, jam confert vim, & consequenter non resistit; idcirco non patitur violentiam, nec proprie cogi potest. Quare metus in hoc tantum sensu dicitur cogere voluntatem, quatenus quæ metu compulsi volumus, ea metu sublato nollemus; & in tantum volumus, inquantum metus urget; Unde fit, quod ea, quæ per metum fiunt, dicantur voluntaria simpliciter, & libera; & idcirco peccat, qui metu mortis, verbi gratia, fidem negat: Contra vero, quæ per metum fiunt, dicantur, juxta doctrinam Philosophi, & D. Th., involuntaria secundum quid, quatenus ea nollemus, si metus abesset.

III. Quæritur nunc primo; Sitne irritum, an irritandum matrimonium contractum metu gravi injuste incusso ad ipsum extorquendum?

Respondeo, esse ipso jure irritum in utroque foro. Ita communiter contra Cardinal. apud Perez sect. 1. Et constat ex *cap. Significavit, De eo, qui duxit in matrimonium*.

Neque dicas; Metus non tollit consensum simpliciter liberum, ut ostensum est: ergo non tollit constitutiva Matrimonii; ergo Matrimonium non est irritum, & nullum.

Confirmatur; quia baptismus metu susceptus non est irritus: ergo

neque Matrimonium.

Respondeo enim, metum non tollere consensum simpliciter liberum, sed tollere consensum plene liberum, prout requiritur ad constituendum contractum, & Sacramentum matrimonii: Sicut enim est invalidum matrimonium clandestinum, quamvis non careat consensu libero, sed quia caret consensu libero requisito (videlicet qui fiat coram Parocho, & testibus) ita matrimonium metu contractum est irritum, non quia caret consensu libero, sed quia caret consensu plene libero requisito ad talem contractum.

Ad confirmationem patet disparitas: Matrimonium enim constituitur per contractum, qui fiat per consensum plene liberum, & quia talis consensus deest, posito metu, ideo desunt constitutiva Sacramenti Matrimonii, posito metu: Contra tamen, Sacramentum Baptismi habet pro constitutivis materiam, & formam distinctam ab ipso actu voluntatis, & ex nullo capite ostenditur, quod requiratur intentio suscipiendi baptismum plene libera: ergo Sacramentum baptismi validum est, etiam si metu suscipiatur, dummodo habeatur intentio illud suscipiendi.

IV. Quæritur secundo; Utrum jure naturæ, an Ecclesiastico sit irritum Matrimonium tali metu contractum?

Respondeo cum Con., Sanch., Hurt., Perez sect. 11. contra Rebell., Marat., Pont., Mol., quod solo jure Ecclesiastico; Nam jure naturæ non sunt irriti alii contractus metu initi; ergo nec contractus matrimonialis.

Confirmatur; quia non minor libertas jure naturæ requiritur ad suscipiendum baptismum, quam matrimonium, sed metus gravis non irritat baptismum jure naturæ; ergo neque matrimonium, Confirmatur secundo; quia

quia non minus dolus reddit contractum secundum quid involuntarium, quam metus (puta, si quis per dolum fingat, se esse ditissimum, nobilissimum, sanum, &c. ad obtinendum matrimonium, cum tamen sit pauper, ignobilis, & morbo contagioso laborans) atqui jure naturæ matrimonium dolo contractum non est irritum, nisi error, & dolus sit circa personam, & circa substantiam contractus; ergo nec metus irritat matrimonium jure naturæ. Quare sicut jure Ecclesiastico est irritum matrimonium clandestinum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem contractus requiri consensum præstitum coram Parocho, & testibus, ita est irritum matrimonium metu contractum, per hoc, quod Ecclesia statuerit, ad valorem matrimonii requiri consensum plene liberum.

Sequitur hinc primo, matrimonium metu contractum inter Infideles non esse irritum, sed solum irritandum, ut reliqui contractus; quia Infideles non subsunt legibus Ecclesiasticis.

Sequitur secundo, matrimonium metu contractum inter baptizatos non confirmari juramento; sicuti nec matrimonium clandestinum: Si quis tamen metu gravi compulsus juraret, se positurum consensum plene liberum, hic tantum promitteret matrimonium cum juramento adimplendi talem promissionem, vi cujus juramenti obligaretur ad ponendum consensum plene liberum, si id poterit, & sic ad ineundum matrimonium; Sicuti juramentum de solvenda pecunia latroni obligat ad illam solvendam, ut diximus quest. 2. art. 8.

Dices primo; non reperitur jus ullum canonicum irritans hujusmodi matrimonium; ergo non est irritum jure Ecclesiastico, sed jure naturæ.

Respondeo cum Con., & Perez, quod quamvis non reperiatursus scri-

ptum aperte irritans tale matrimonium, tamen cum ostenderimus ex una parte non posse esse irritum jure naturæ, & ex alia parte jus canonicum in laud. cap. *Significavit*, supponat, tale matrimonium esse irritum, sequitur, quod jus Ecclesiasticum illud irritans, vel fuerit antiquius, & perditum; vel sit traditione acceptum; vel usu, & consuetudine introductum; vel vivæ vocis oraculo traditum.

Dices secundo; contra jus naturæ est, ut aliquis per injuriam acquirat jus in alterum: ergo matrimonium metu injusto contractum jure naturæ est irritum; siquidem ratione talis metus per injuriam acquireretur jus in alterum.

Respondeo, argumentum nimis probare, atque adeo nihil; Probat enim, quod etiam matrimonium dolo contractum sit irritum jure naturæ, etiam si dolus, & error non cadant circa substantiam contractus; nam quando quis hujusmodi dolo inducit alterum ad matrimonium, etiam per injuriam acquirat jus; Quare distinguo antecedens; Est contra jus naturæ, ut valide aliquis acquirat jus in alterum per injuriam, nego; ut licite, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Dices tertio; Votum metu injuste incusso nuncupatum est nullum jure naturæ: ergo etiam matrimonium: Antecedens probatur, quia nemo debet obligari ex injuria, quam passus est; Et Deus respuit promissionem extortam per injuriam, nec illam approbare videtur, aut acceptare; cum nec inter homines talis promissio possit rationabiliter acceptari.

Respondeo, nego antecedens: Votum enim tali metu emissum, nec jure naturali, nec universim jure Ecclesiastico est irritum; unde indiget dispensatione; ut contra nonnullos docet Suar. tom. 2. de Relig. tract. 1. lib.

lib. 1. cap. 8. Ad probationem dico, posse optime obligari apud Deum ex voto, qui injuriam passus est ab homine; sicut potest graviter offendere Deum, qui committit peccatum ex metu mortis; Potuit quidem Ecclesiale votum irritare; Sicut potest irritare vota simplicia ante certam aetatem emissa; & de facto irritat vota solemnia religiosa ante decimum sextum annum nuncupata; aut metu injusto extorta; at de facto votum illud non irritavit.

V. Infero ex dictis primo cum Sanch., Lefs., Perez disp. 17. sect. 7. contra Rebel., Medin., Azor., & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 118., Contractum lucrativum (videlicet liberalis donationis, & promissionis) gravi metu extortum jure naturæ esse validum, & solum esse irritandum. Ratio est, quia ad valorem donationis, promissionis, & voti sufficit voluntarium simpliciter, etiam si misceatur involuntarium secundum quid.

Neque dicas primo; qui per vim, & metum injustum extorquet donationem, tenetur ad restitutionem, ut omnes concedunt; ergo jure naturalis donatio est irrita.

Respondeo enim teneri ad restitutionem, non quia contractus non fuit validus, aut quia non fuit translatum dominium; sed quia qui injuste metum intulit, tenetur resarcire damnum, quod per injuriam alter passus est; & idcirco potest alter ex natura rei beneficio juris repetere, quod donavit donatione metu extorta; & consequenter si non tradidit rem donatam, potest vi compensationis illam sibi retinere.

Neque dicas secundo; Usurarius tenetur jure naturæ restituere usuras acceptas, non ratione injuriæ, quam intulit danti usuras, sed quia donatio usurarum, utpote non simpliciter voluntaria, est irrita; ergo cum dona-

tio metu extorta, neque sit simpliciter voluntaria, est pariter jure naturæ irrita.

Nam respondeo, Usurarium teneri ad restitutionem, non quia donatio usurarum non fuit simpliciter voluntaria, sed quia nullus interfuit titulus validus, unde potuerit acquirere dominium usurarum; ad quemlibet enim contractum requiritur, præter consensum, etiam justus titulus, ut possit transferri dominium; Verbi gratia, ad contractum onerosum venditionis, præter consensum, requiritur titulus legitimus, videlicet, quod detur res pro pretio, Ad contractum permutationis requiritur titulus, quod detur res pro re; Eodem modo ad contractum lucrativum donationis, præter consensum, requiritur etiam titulus legitimus, videlicet, quod detur res liberaliter, & ob nullam causam, seu nullo pretio accepto, & consequenter, quod detur res non debita ex justitia: At quando solvuntur usuræ, non habetur hic titulus legitimus donationis; non enim donantur liberaliter, sed dantur tanquam debita pro mutuo (qui titulus est illegitimus) & ideo Usurarius non acquirit illarum dominium, sed tenetur ad restitutionem.

Infero secundo, cum Sot., Navar., Henr., Perez disp. 17. sect. 4. contra eundem Rebel., etiam contractus onerosos (in quibus datur res pro re, aut pro pretio) gravi metu extortos esse validos jure naturæ, & solum rescindendos.

Probat, quia in iis & datur titulus legitimus, & datur simpliciter voluntarium; ergo habentur ea omnia, quæ requiruntur ad valorem contractus, atque adeo sunt validi: Quod detur titulus legitimus, nempe datio rei pro re, nemo dubitat; Quod vero sufficiat voluntarium simpliciter, quamvis ratione metus sit involuntarium

rium secundum quid, constat ex dictis; unde sequitur, quod per traditionem rei post huiusmodi contractum transferatur dominium; Nam ex leg. *Traditionibus Cod. de pactis*, traditione transfertur dominium, quando concurrat titulus legitimus; in casu autem nostro datur titulus legitimus: ergo per traditionem transfertur dominium.

Notandum tamen, quod qui per injuriam metum intulit, teneatur, etiam jure naturæ compensare damnum injuste illatum; atque adeo restituere rem cum fructibus, si id velit is, qui coactus contraxit; Unde etiam potest hic occulte sibi damnum compensare, & rem suam sibi recuperare; Sicut etiam dum res aliqua mihi promissa est, si illam aliter consequi nequeo, & damnum aliquod ex illa promissione non adimpleta sim passus, possum mihi occulte consulere, ut notat Perez loc. cit. sect. 5.

Addo cum Sanch. lib. 4. disp. 8. non solum jure naturali, sed nec jure positivo esse irritos contractus, sive lucrativos, sive onerosos metu injusto extortos, sed solum esse rescindendos pro arbitrio ejus, qui coactus contraxit; non tamen pro arbitrio ejus, qui metum incussit; Unde hic tenetur stare contractui, si alter velit.

VI. Quæritur tertio; An sicut est irritum ex lege Ecclesiastica matrimonium contractum ex gravi metu injuste incusso ad ipsum extorquendum, ita pariter sit irritum matrimonium ex levi metu injusto contractum? Qua occasione pariter quæritur; An jure naturali, & in foro conscientie rescindendi etiam sint contractus per metum levi injustum initi, ad arbitrium ejus, qui metum levi passus est? Et an ad ullam restitutionem teneatur, qui injuste per metum levi extorsit contractum, sive onerosum, sive lucrativum?

Respondeo, Less. lib. 2. cap. 17. dub. 6., Navar., Sylvestrum, Sanch. lib. 4. disp. 9. apud Perez disp. 17. sect. 6., & Pal. apud Tamb. lib. 1. cap. 2. §. 6. docere, Contractus initos per metum levi injuste incussum ad illos extorquendos, etsi validos, posse in foro conscientie rescindi auctoritate propria; Cum enim compars teneatur relaxare fidem metu levi injusto extortam, & refarcire damnum injuste causatum, poterit ipsemet vim patiens pari modo in conscientia restituere fidem a se datam: Idque etiam si contractus juramento firmatus sit, dummodo absolutio a juramento petatur. Additque Sanch., posse in foro externo metum levi passis succurri officio Judicis, ut rescindatur contractus.

Hæc tamen omnia negant probabiliter Perez, Medin., & alii apud eundem Tambur.; docent enim, Neque in foro conscientie huiusmodi contractus rescindi posse; Neque extorta tali metu restituenda esse; Neque in foro externo posse per Judicem tales contractus rescindi. Ratio est, quia metus levis facile repellit potest, atque adeo, qui illum non repellit, præsumitur in foro conscientie libere velle contrahere, nec ipsi factam esse injuriam. Et ratio a priori est, quia parum pro nihilo reputatur; ergo si metus levis injustus parum lædit libertatem, & parum minuit de voluntario, non tollitur, quominus consensus dicatur plene liber, & sine injuria positus.

Utraque hæc sententia est probabilis; & ideo cum eodem Tamb. censeo, probabile esse, quod docet aperte Lug., Matrimonium contractum ex metu levi injuste incusso ad ipsum extorquendum esse ipso facto irritum ex eadem lege Ecclesiastica; quia caret consensu perfecte libero; Sed probabiliter est, quod docent Pont., & San-

Sanch. hujusmodi matrimonium esse validum, quia non caret plena libertate, cum metus sit levis, & parum pro nihilo reputetur.

Quod diximus de matrimonii validitate, dicendum est de validitate voti. Aliqui enim apud Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 3. num. 23., & Tambur. loc. cit. §. 8. docent, probabile esse, quod votum etiam ex metu levi injuste incusso ad ipsum extorquendum sit irritum, eo quod votum debeat esse omnino spontaneum, & perfecte liberum, saltem ex jure Ecclesiastico. Ex quo inferunt, quod, qui ex metu injusto ordinatur Sacerdos, non teneatur voto castitatis, sed possit sine dispensatione ad nuptias transire, dummodo cessante metu, non exercuerit actum Ordinis Sacri; nam per tale exercitium, seu usum ordinis, ratificaretur Ordo, & votum illi annexum; Sed probabilius censo cum communiore, Votum, nec per metum levem, nec per gravem invalidari, ne jure quidem Ecclesiastico, ut diximus quæsito superiore cum Suar. contra Navar., Sà, Tolet., Sanch. apud eundem Tambur.

VII. Quæritur quarto; An metus reverentialis dicatur metus gravis reddens irritum contractum matrimonii, & irritandos reliquos contractus? Et idem quæritur de precibus importunis.

Respondeo cum Sanch. lib. 4. disp. 6., Perez sect. 7. contra Pont., & alios apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 20., metum reverentialem (quo filius timet offensionem Parentum, pupillus Tutorum, subditus Principis, Uxor Mariti, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi) non esse gravem secundum se, cum non soleat concutere animum constantem; Nisi etiam secum ferat indignationem Patris, seu Superioris diuturnam, vel verbera, aut preces importunas cum minis,

quas vere Pater, aut Superior soleat exequi. Quare idem dicendum de precibus importunis, quæ secundum se causant metum, dumtaxat levem; nisi iis adjungatur metus reverentialis cum minis, aut verberibus, &c. Ratio est, quia quamvis preces instantissimæ contineant in se aliquod genus vexationis, & gravaminis; si tamen absit reverentia petentis, cui malum debeat, aut minæ, non ita graviter opprimunt, ut inferant absolute vim, & virum prudentem, ac constantem cogant, & ipsius consensum extorqueant.

Hinc sequitur, quod si filius non audens contradicere Patri, matrimonium contrahat, illud sit validum; Et si aliquid promittat, aut donet, aut alicui juri renunciat ob solum metum reverentialem, quando aliud malum non timet, non possit petere rescissionem; Nec dicatur Pater injuriam intulisse; nec teneatur ad restitutionem ejus, quod per talem consensum consequutus est: Et idem dicas de Uxore respectu viri, si solum id fiat ex metu reverentiali; Secus vero si adjungantur minæ, indignatio diuturna, seu torvus aspectus, exprobratio durioribus verbis, &c., quæ tamen non cito transeant; hæc enim animum constantis viri concutiunt.

Less. tamen lib. 2. cap. 17., & alii apud Dian. loc. cit., & resol. 117. cum putent, esse irritandos contractus ex metu, etiam levi, injusto celebratos, docent a fortiori, rescindi etiam posse contractus celebratos metu reverentiali, & ex precibus importunis; ac teneri ad restitutionem, qui commodum inde reportavit. Docent proinde alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 230. cum Navar., & Covar. matrimonium ex metu reverentiali, aut ex levi metu injusto contractum esse irritum. Quam sententiam Sanch. lib. 4. disp. 17. fatetur esse probabilem.

Quam-

Quamvis verum sit, quod in foro externo solum contractus ex gravi metu celebrati rescindi possint; Sicut in foro externo solum datur actio, quando læsio est ultra dimidium, quamvis in foro conscientiae detur obligatio restitutionis, etiamsi læsio sit infra dimidium.

VIII. Quæritur ultimo; An matrimonium ratione metus invalidum, fiat deinde validum per copulam subsequutam?

Respondeo cum Con., Sanch., Henr., quod si copula habeatur animo fornicario, non reddat matrimonium validum; si vero fiat affectu maritali, & non sit metu extorta, matrimonium sit validum; cum ponatur tunc consensus plene liber, qui desiderabatur. Post Tridentinum tamen si impedimentum metus erat occultum, non debet matrimonium revalidari coram Parocho, & testibus, sed sufficienter revalidatur per copulam inter conjuges habitam, sicut revalidatur matrimonium, quod propter aliud impedimentum occultum fuit invalidum. Si tamen impedimentum non erat occultum, sed probari poterit in foro externo, matrimonium non potest revalidari, nisi coram Parocho, & testibus, ut dicemus art. seq.

Difficultas etiam est; An, si copula metu etiam extorqueatur, revalidet contractum meticulousum invalidum?

Respondeo cum citatis Doctoribus contra Paludan., quod probabiliter non revalidet, etiamsi fiat affectu maritali. Ratio est, quia deficiente consensu requisito ad valorem contractus, impossibile est, ut contractus sit validus; sed accedente novo metu compellente ad copulam, deficit consensus plene liber requisitus ad valorem matrimonii; ergo matrimonium non est validum; Unde iste ta-

Pars VII.

lis, qui metum patitur, deberet mori potius, quam consummare, si non potest cum plena libertate, & nullo habito respectu ad metum, consentire ad matrimonium. Ex quo etiam sequitur, quod qui ob gravem metum matrimonium contraxit, & consummavit, possit postea resilire, quia consummatio illa fuit fornicaria.

Docent tamen Doctores, contrariam sententiam non esse improbabilem, quod scilicet revalidatur matrimonium per copulam, quamvis metu extortam. Unde in gravi necessitate posset quis tali opinione uti, ne peccet consummando matrimonium.

ARTICULUS IV.

De Consensu simpliciter clandestino.

- I. Recensentur decem conditiones a Tridentino requisita ad solemnitatem Matrimonii.
- II. In nulla necessitate valide contrahitur matrimonium sine Parocho, & testibus; sed quid si Parochus nullatenus haberi possit in locis Infidelium?
- III. Lex ista Tridentini non patitur Episcopalem, quia inducit formam substantialem contractus. Et idem dicendum de variis similibus legibus.
- IV. Hac, & similibus legibus obligantur etiam ignorantes illas invincibiliter.
- V. In hac lege nequit Episcopus dispensare; quamvis hic possit, urgente necessitate, dispensare aliquando in nonnullis impedimentis dirimentibus.
- VI. Non obligat lex ista, ubi Tridentinum non est receptum; nec in Provinciis Infidelium. Ex quo non sequitur, quod in iis locis non debeant alia leges Ecclesiastica servari.
- VII. Quando revalidandum est matrimo-

M

mo-